

§. IX. ALBERTVS natu maior, renuente patre, *successionem* extorquet, ipsum etiam fratrem DIETERICVM sua fere portione spoliat. Sed 1195. improlis mortuus est, germano suo ad hereditatem vniuersae ditionis vocato. Inhiabat tamen Misniae Imperator Henricus VI, quod *Dietericus* tum absens in Palaestina esset: qui aucta fratris morte, superatisque maximis periculis, domum reuersus, eiecto Caesareo milite, *avitas* regiones non sine difficultate adiit. Domesticis etiam bellis vexatus fuit optimi ingenii princeps a subditis, diuitiarum abundantia ad audendum proiectis. m. 1222.

*Albertum non sine causa monachi criminantur. Repetiit enim a coenobitis pecuniam a parente, liberaliter profusam. Hanc, cum arae imponerent sacro ordini addicti: noster * sacrilega manu, stylo monachorum, eandem auertit. Dietericus frater dynastiam Weissenfels tenuit voluntate parentis. Metallicas diuitias Misniae damnosas fuisse, quidam arguantur a) propter inuidiam Caesaris ac Ordinum Imperii; b) ciuium proteruiam inde mirum auctam; c) neglectum agriculturae; d) ferociam nobilitatis, quae efferuescere tunc coeperat; e) luxum inde excitatum in aula principum. Quo iure Merseburgensem praesulem cohibuerit Dietericus, quin vicum muris clauderet (e)? An haec facultas tum Episcopi fuerit, an Marchionis? an neutrius? Lipsia rebellis castris tribus domita.*

§. X. HENRICVS minorennis a parente tutorem accepit (f) auunculum suum Ludouicum IV. Thuringiae Landgrauium; qui *Misniae* administrationem forori suae viduae commisit (g) pessimis postea moribus regiones affligenti (*). Vir factus, grauissimam *litem* cum Brabantinis habuit, quod matris nomine an. 1248. Thuringiae successionem postularet. Post varia bella 1263. ita transigitur, vt Thuringia orientalis cum Saxoniae Palatinatu

(e) Vel priuilegii, vel territorii ergo. Vtrumque speciem habet ex istius aevi monumentis.

(f) Habes exemplum testamentariae principum tutelae.

(g) Tutelae vero alias substituere tutor nequit, quod personae sit electa dexteritas.

(*) 16. annos natus uxorem accepit, & mater principatum regendum suscepit.